

Signo Libræ, caudam vero paulo Septentrionem versus inclinatam habebat: Et ad an. 1731. sub finem Mensis Julii radiasse similiter Cometem, sed crinitum, qui per totum Mensem Augustum se videndum exhibuit. Tandem mentionem alterius Cometæ facit, qui an. 1577. Mense Octobri sub Regno Henrici III. Galliaë & Poloniaë Regis apparuit, quique longitudine prædictos omnes superabat, duo Sagittarii & Scorpionis signa simul obtegens. Visus est a Die 18. Octob. usque ad finem Novembris.

§. IV. Nolim eos silentio prætermittere Cometas, quorum, cum nostra ætate apparuerint, nobis adhuc recens esse potest memoria. Unus anno 1677. circa mensem Aprilem se videndum præbuit. Illius motus, forma, magnitudo, & si quæ sint alia phænomena, diligenter à D. *Cassino*, Insigni Astronomo, nec non Regiæ Societatis Parisiensis Socio sunt observata, ac in publicum vulgata. Hic exeunte Aprili in Constellatione Andromedæ viam Cometis tritam insistere visus est. Quodque notatu dignum est, qui anno 1577, 1590 & 1658 apparuere, ab eo itinere non multum aberrarunt, uti constat ex observationibus tunc temporum factis. Hinc enim conjectari licet an forte iidem sint Cometæ reduces post certa annorum volumina, quemadmodum id insinuare velle videtur supra laudatus D. *Cassinus*, & vero satis simile est.

§. V. Sed omnium, qui nostris diebus apparuere Cometarum spectatissimus est, qui circa Solstitium hibernum anni 1680. in cælo visus est, quique ad æquinoctium usque vernum anni 1681. sub aspectum venit, & à D. D. *Cassini*, & *Picard* quam diligentissime fu-